

014

012

018

008


023

003

063

113

513



patet supra P. 1. fol. 218 in tertio articulo conventionis. Quibus diximus, ut manerent usque ad adventum domini Tanguardini Trutschelmanni Cahirini, cum quo ingressuri essemus Cahirum, et ipsi in suis camelis pro novo pretio res nostras illac deferrent; sed ipsi nullatenus acquieverunt, dicentes, se non audere nec Trutschelmannum exspectare, nec Cahirum intrare. Sic ergo miseri illi in miseriam suam redierunt cum camelis suis, de quorum recessu non modo nullam tristitiam, sed magnam laetitiam habuimus, ac si a magno munere et gravi sarcina liberati essemus. Non enim ausi erant apparere in conspectu Mamaluci Truschelmanni nostri, quia ipsi Mamaluci et tota curia domini Soldani odio eos habent pro eo, quod dominium deserti sibi usurparunt et a transeuntibus vectigalia et pedagia et ganfragia extorquent, dicentes, se esse dominos deserti, cum tamen totum pertineat ad regnum domini Soldani et ob id non ausi sunt Cahirum ingredi, quia, quam cito ingrederentur cum oneratis camelis, omnia bona illa confiscarentur et ipsi in captivitatem redigerentur. Nec ausus est aliquis alienus oneratis camelis ingredi urbem nisi inductus auctoritate Soldani.

Post recessum Arabum a nobis misimus nuntium in Cahirum ad Tanguardinum Mamalucum, Trutschelmannum Christianorum, ut veniret et nos in urbem introduceret juxta debitum officii sui et juxta promissionem nobis ab eo factam in Jerusalem, sicut patet P. 1. fol. 234, A. Ut autem vir audivit adventum nostrum, statim assumptis famulis suis equitavit ad nos et blande ac curialiter nos salutavit, intendens nos eodem die in urbem ducere. Nos autem rogavimus eum, ut hac die (75 a) et nocte dimitteret nos in loco illo quiescere et in crastinum veniret cum camelis et nos inde tolleret in civitatem regiam. Placuit autem hoc viro et rogavit dominos peregrinos secundae societatis, ut secum assumerent Conradum barbitonsorem, peritum in lutanis et fidulis, qui et fiellam secum habebat, quibus et ipse Tanguardinus vacabat, cum quo regressus est in urbem et nos ibi, ut optavimus, dimisit. Sunt enim a Busiris sive ab horto balsami duo milliaria alemannica in Cahirum, estque quasi continuata civitas. Instruximus ergo convivium pro bona coena, et venerunt Sarraceni portantes recentes panes, qui erant nobis rari, et pullos ac gallinas, ova et fructus, de quibus emimus et laetum diem duximus in solario

1 *

Ende

Anfang